

PRÆFATIO

ad

REVERENDOS, CLARISSIMOS,
Doctissimos, Viros, Fratres ac Symmistas,
pro veritate & bona conscientia partim
proscriptos partim incarceratos,
partim afflictos oppressosque
in Belgio Fœderato.

UT Sisyphus saxum suum, ita nos argumentum de Præ-
destinatione volvimus ac revolvimus. Recidimus
semper in eundem lapidem, & veluti æstu quodam,
indefinenter in se ipsum reciprocante, fluimus ac refluumus per
eundem controversiæ alveum. Nihil mirum. Suus cuiq; ætati
atque homini labor est in divinæ veritatis promotione. Uti
morbi in corpore, ita se habent errores in spiritu. Alij magna
remedij cura opus non habent: Sponte sua dilabuntur ac dif-
fluunt, non aliter quam catarrhi. Alij omnem atq; imprimis
solicitam remedij vim respuunt: quantò acrius eos attrectas
atq; urges, tantò atrocius irritantur ac serpunt latius, gangre-
næ instar. Alij longa lentaq; cura opus habent: Principiò non
cedunt ullis remediis; hærent non aliter quam scabies & im-
petigo; sed si instes, si urgeas per intervalla paulatim exhauri-
tur ac deficiunt. Hinc varij variorum labores, pro errorū ma-
litia ac pertinacia; Nec defuerunt, qui uni soli extirpando æ-
tatem atq; industriam omnem suam frustra impenderunt.

Hæc jam nostra Sparta, nostra provincia est. In hac nobis
standum & laborandum est, ac fortasse etiam moriendum.
Nec tædere nec pigere nos debet, huius tam piæ, tam lauda-
bilis tam egregiæ operæ.

Sunt qui aliter censent, & nos identidem, veluti per Satyrā,
naso suo suspendunt, jubentq; ex formula sua,

(.)

miseros